21576

Krzemeth Adam

Aukński Raph. Casim. Lumen vitae

# LVMEN VITÆ,

Virtutum meritorumq; ſplendore, in æterna felicitate,

# REFVLGENS.

Ad Iuſta Funebria,

*Perilluſtris olim & Admodùm Reuerendi Domini,*

# D. ADAMI SZTAMETH.

V. I. Doctoris, Præpoſiti Eccleſiæ Neo-Wiſnicenſis, Decani Lipnicenſis, S. R. M. Secretarij: dum vltimo pietatis Chriſtianæ obſequio, exuuiæ mortalitatis eius, tumularentur;

*A*


M. RAPHAELE CASIMIRO ARTENSKI,
Philoſophiæ Doctore, Collegij Vladiſlavia-Nouoduorſciani, in Vniuerſitate Cracouienſi, Dialecticæ Profeſſore, Contubernij Philoſophorum Seniore, ſeræ poſteritati,


# EXPOSITVM.

*Anno Exorientis in terras, Iuſtitiæ Solis.* 1680. *Die* 8. *Ianuarij,*

---


CRACOVIÆ,
In Officina FRANCISCI CEZARY S. R. M. Typogr.

*Perillustribus & Admodùm Reuerendis Dominis,*

# D.M. SAMVELI FORMANKOWIC,

I. V. Professori, Prothonotario Apostolico, Eccl: Colleg: SS. Omnium Custodi, Przemykouiensi,

D. IOANNI SVŁKOWSKI, Kroleuecensi, Sacr: Reg: Maiest: Secr: Plebanis.

D. PAVLO DVDZICKI, Præposito Ecclesiæ in Antiqua Wisnicz.

*Nobili ac Spectabili Domino.*

D. FRIDERICO WAYTTMAN, Vrbis Metropolitanæ Cracouiensis Scabino.

## Vltimæ voluntatis Piè Defuncti Executoribus, S. P.



*ANgustiarum solicitæq; mentis, in omni Vita materies mortalitas, quando soluere compagem naturæ meditatur aliquam; tum, non solùm res Vitam exuens, sed illorum etiam animi, qui delectantur eâ, tristes meditari nænias coguntur.* Perillustres, Admodùm Reuerendi Domini, & Amplissimi Viri. *Non enim cuiusquam figmentum est, sed naturæ institutum, detrimentis confundi pectora; dolendiq; vehementiam, seu minui iacturæ paruitate, seu magnitudine augeri. Crudele Vulnus inflictum vestris pectoribus esse constat, iacturâ* Perillustris olim & Admodùm Reuerendi Domini Præpositi Neo-Wisnicensis, *quando Conspectus Vester, dulci eius præsentiâ, perfrui desijt. Sed quâ Virtutum varietate, recreabat vestros animos Viuus, earundem post fata superstes lumen, in alleuiando vestro dolore, medelæ atq; leniminis vices obire volumus. Complacuerat enim ille in vestris animis foueri, censeri amicitiâ: vt illius de Vestra integritate sensus, inter ea censeretur indicia, per quæ summa vestra sapientia, insignis probitas, seruata optimis quibusq; familiaritas, probatur & eminet. Ex his ingentibus animorum vestrorum decoribus, in Piè Defunctum, sinceri affectûs fidelitas tanta est, vt Voluntas eius vltima, nullibi meliùs atq; tutiùs, quàm in beneuolentiæ Vestræ sinu, elegerit collocari. Quoniam non aliud magis voluit, quàm in Cælituum conspectu clarere virtutibus; earundem lumini fauere, Conspectus Vester non dedignetur. Et licèt vota mea taceant; pro illis tamen copiosè satis id loquitur, eaq; implenda esse pollicetur, quòd nulla mors extinguat affectum vestrum, quo Virtutes earumq; lumen prosequimini.*



# LVMINIS VITÆ ORTVS.

## Iteratos, funestarum Eclypsium,

in vna domo eventus,
maius pati, simul & minus Luminare, non patitur Vranie;
etiamsi infestas luminum suorum claritati,
non effugiat vmbras.
*Frequens illis, assiduæ mutationis consuetudo,*
*legem tolerabilem efficit:*
quæ, longo dierum tractu, crescere lumina, ideo sinit, ut ex plenitudine, tandem decrescant in vmbras.
Redditur tamen luminum iubar gratius,
postquam rursùm, è tenebris erumpentem fulgorem repetierint.
Sed lucentium, in Dignitatis Firmamento,
syderum lumen,
longè dolentiori, vrgetur Parcarum tyrannide.
*Damna etenim celeres, reparant cælestia, lunæ:*
At istarum truculentia!
*Non contenta lege,*
*quâ postquam occidendi initio, lucem ademerit*
*mortalibus, finem tantùm seculorum & mundi, ad rursùm exoriendum relinquit;*
Sed etiam;
Multa, vno funebralium vmbrarum iactu, in vna Familia,
extinguit lumina.
Irreparabili damno tali!
dolentes nimis premuntur animi, in Domo inclyta

 SZTA-

SZTAMETHORVM.
Ex hac, luminare minus, Vrbis Consulem, simul & Luminare Maius,
Ecclesiæ Præpositum, à plenitudine luminis
ad sepulchrales vmbras, coëgit,
inexorabile fatum.
*Dolendi atram spectatoribus, obiecit materiem!*
Seu Occasum, seu Eclypsim luminum, dolore attonita, spectat orbitas.
Ad solatium eius spectare censetur,
*Vmbrarum opposítu, prohiberi quidem, ne diffundantur radij,*
*Sed lumen in tenebras non verti.*
Ad destinatum diurni cursus terminum,
properante Phæbo,
quò plus caligo noctis, vsurpat augmenti,
*Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ,*
eò spatij minùs, ad decurrendum soli restat,
vt ab orientis facie,
Vmbræ fugiant,
dum ille assurgit in augem.
Culmen æternitatis eiusmodi,
Occupat, per virtutum & meritorum lumen nitidissimum,
*Perillustris olim & Admodum Reuerendus Dominus,*
D. ADAMVS SZTAMETH
I. V. Doctor, Ecclesiæ Neo-Wisnicen:
Præpositus, Decanus Lipnicensis, S. R. M. Secretarius.
*Detractis in corporis occasu exuuijs, ceu velamine,*
*præoccupantur, mortalium oculi.*
Opacitas hæc,
Inter Perillustrem Virum, & aspectum nostrum, ne illustremur eo
amplius, intercedit;
Sed Clarissimæ Familiæ lumen,
non vertit in tenebras.
Quò à nobis illud remotius, cœlo cognatius,
& in se fulgentius est.

Ita

# Ita nimirum.

Signatum ſuper nos lumen diuini vultus, in lucerna fragilis
corporis latitans, defertur in vita;

Fato ſubciſum;

Mundo lucere deſinit, vt cœlo incipiat.

## Claudebantur tali carcere radii.

erumpebant per terſiſsimum vſu virtutum Diaphanum, gentilitij
SZTAMETHORVM Leonis,
ad vrbis mœnia excubantis.

## Hic lucidiſſimam vitam,

ſemper Cleonas veluti, materiem vin-
cendi expertus eſt.

Poſt mortem, triumphalibus Alcidæ ſpolijs exultans, in Zodiaci orbe,
perennem experiens famam, ſplendores eius in terram proijcit.

## Ad perennitatem hanc

prior abijt, natu poſterior Frater, Perilluſtris olim Domini Præpoſiti,
*Nobilis & Spectabilis Dominus*,
D. ALBERTVS SZTAMETH,
Conſul Cracouien: eiuſdemq;
Vrbis, Eccleſiæ Archipræsbyteralis B. MARIÆ Virginis,
in Circulo, Prouiſor.

## Inſignis eius pietas,

tantùm à DEO luminis accipere meruit,
ut radijs virtutum eius,
delectarentur Principes, ob Fidelitatem, fruerentur Conciues,
ob amorem boni publici; exultarent pauperes, ob frequentiſ-
ſima liberalitatis exempla.

Neue lumen eius tantum, extingui terris videretur,
Proviſor; Eccleſiæ, multiſq; alijs fundationum cenſus prouidit,

## Atq; ſic,

Multas myriades in Poſnaniæ Cracoviæq; Vrbibus, lucenti
Familiæ, prouideri meliùs non potuit,
quàm æuiternæ cenſu gloriæ.

# LVMINIS VITÆ
# MERIDIES.

## Ortûs sui splendoribus, vitæ

*Perillustris olim & Reuerendi Domini,*
lumina, conformia sunt.

## Ad gentilitij splendoris decora,

Eruditionis Viri claritas, Doctorali in Vtroq; Iure, Almæ Vniver: Crac: fulgens Laurea.

## Nimirum Themis & Consus,

*In suo ampliando, subditis proficuo imperio,*
*Tytana imitatur.*

Fastidit ille, virtuosissimorum etiam Latumias;
*Paulùm Seueræ distat inertiæ,*
*Celata Virtus.*
*Participari lumen suum non aliter, nisi in aprico.*

## Illustratio eius,

in Clarissimo Viro enitens, nodosæ Iudiciorum difficultati, Macedonis ensis, nodo Gordio.
Hac, Summi Diœceseos Crac: Pastores oblectati in Ecclesiæ candelabro,
pietate, sapientia, virtuteq; lucenti Mystæ,
Decanatũ Lipnicensem, cõmiserunt lustrandũ & illustrandũ,

## Virtutis & Sapientiæ lumen,

*Difficultatum abdita, nunc prudenter condendo seruat, nunc vtiliter irradiando facilitat.*

Per

Perilluſtris Viri Prudentia
Sereniſſimo & inuictiſſimo Poloniarum Regi
MICHAELI I.
adeò placuit, ut eam Secretariorum Officio fungi poſſe,
non dubitauerit.
Summa eius Modeſtia,
in ambigendis honoribus Eccleſiæ,
Contenta ſuæ Diœceſeos Paſtorum affectu, Illuſtriſſimis Poſnaniæ
Antiſtitibus, ſuæ Cathedralis Canonicatum,
Poſtea Præpoſituram
offerentibus, actis gratijs, modeſtiſſimè renuit.
Sed
SZTAMETHORVM Leonis,
Ad Eccleſiæ DEI oſtium ſollers vigilantia placuit,
E re iudicatum eſt ſuccedere;
Vt nihilominùs inclytus
SZTAMETHORVM Sanguis
honoribus illis decus adderet;
Inſignis pietatis & magnarũ virtutum ſplendoribus præclariſſim'.
*Perilluſtris & Admodùm Reuerendus Dominus.*
D. STEPHANVS MORĘSKI,
S. Th. Doctor, Eccleſiarũ Cathedralis Poſnanienſis,
Canonicus, S. Mariæ Magdalenæ Præpoſitus, &c. &c.
Venerando eius Senio
in ſolatium,
poſt amiſſum ſui ſanguinis decus eximiũ, vota clientũ cedant,

# Vt ille
Meridiem tantorum luminum continuare, nunquàm desinat.

# LVMINIS VITÆ OCCASVS.

## In Tantorum Occasu Virorum,
Tyndaridas rectè dixeris!
Non solúm ideo,
*quòd lumen aureum, tot fluctuantibus in pauperiei procellis, in miserijs mundani maris, à Fratribus his exhibitum, portus esse salutaris, nec desinebat antea, neq; nunc desinit,*

# Sed etiam,

## Quòd vnus autumnus,
finem sui & initium vtriq; dederit spatia, ad incipiendum desinendumq; lucere alternatim.
Desijt ille terris, incepit lucere cœlo septuagenarius, ad Autumni principia:

## In eiusdem autumni fine,
Octogenarius hic, oriendi occidendiq; inuicem repetijt vices.

## Vterq; immortalitatis felicis,
Viatico sacratissimo instructus. O lu-

# O lumina cœli!

## Spes maxima vestræ felicitatis,

Vno mane dierum solis, sub terram reditu,
reditis ad Iustitiæ solis, vnionem.

Ab Vmbris mortalibus recessu,
ad Lucem inaccessibilem, patuit Vobis accessus.

Insigne satis cælestis gratiæ lumen,
longæua canities,

Candorem suum, non alio maturescere satagit, nisi negotijs,
candorum cælestium æmulis.

Tantarum amplitudinum splendor,
conspectui hominum iucundissimus,
longè maiorem ex eo nasci superis iucunditatem,
cælum ipsum adstipulatum est, Vitam Virorum; in tàm longùm,
per constellationum favorem, prorogando:
quæ, breuiter Viuentium nunc opinione,
nomen sœculi meretur.

## Luminis Complementum,

Non aliud magis, præteritam mortalem Vitam reddit in toto
candidam, & immortalem certam.

*Perillustris olim & Admodùm Reuerendi Domini,*

D. A D A M I S Z T A M E T H
V. I. Doctoris, Præpositi Neo-Wisnicensis,
Decani Lipnicensis, S. R. M. Secretarij.

quòd, secundissimi, Vitæ totius actionib⁹ eius, destinentur exitus.
quia post secundas, Tremendi Sacrificij Primitias,
annos quatuor exegerunt.



Vt

# Ut ei,

Quadratum sint initium, ad sacrificandum Infinito Principio & Fini, in illa felici, immortalitate.

# Pium est

Optari id Defuncto ab omnibus.

# Virtutum lumen,

Quod Viuus prætulit, sequi omnes necesse est,



